




EX LIBRIS

Est. 15 Tab. 3 Núm. \_\_\_\_\_





OFFICIA  
PROPRIA  
**SANCTORUM,**  
QUÆ  
IN DICECESIS MALACITANA  
REGITANTUR,  
ET QUÆ  
IN MULTIS BREVIARIIS NON INVENIUNTUR.




GUM ORDINARII LICENTIA.

MALACÆ.  
EX OFFICINA MARTINEZ DE AGUILAR,  
(VULGO) DEL AVISADOR MALAGUEÑO.

1863.

R. 960.





# OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

QUÆ

## IN DIOCESES MALACITANA

RECITANTUR, ET QUÆ

IN MULTIS BREVIARIIS NON INVENIUNTUR.

---

DIE XIV JANUARII.

IN FESTO

S. Hilarii Ep. Cf. et Eccl. Doct.

*Omn. ut in Breviar. hac die sed, Lects. II Noct. cum addit.  
ad VI lect. ut infra, ex Brev. Ss. P. N. pii IX 13 Maj.  
1851. et Decret. Urb. et Orb. 10 Jan. 1852.*

### Lectio IV.

Hilarius in Aquitania nobili genere natus, doctrina & eloquentia excelluit. Qui primum in matrimonio quasi monachi vitam egit: deinde propter singulares virtutes Pictavorum Episcopus creatur: quod munus Episcopale sic gessit, ut a fidelibus summam laudem consequeretur. Quo tempore, cum terroribus, bonorum spoliacione, exilio & omni crudelitate Constantius Imperator catholicos vexarel, nisi ad Arianas partes transirent, Hilarius tamquam firmissimum murum

se Arianis opponens, illorum furorem in se concitavit. Itaque multis petitus insidiis, tandem dolo Saturnini Arelatensis Episcopi de Synodo Biterrensi in Phrygiam relegatus est: ubi mortuum suscitavit, & libros duodecim scripsit de Trinitate contra Arianos.

R. Inveni David....

### Lectio V.

Quadriennio post coacto Concilio ad Seleuciam Isauriae urbem Hilarius adesse compulsus est: ac deinde Constantinopo-

lim profectus, ubi extreum fidei periculum animadvertisit, tribus libellis publicè datis, audientiam Imperatoris poscebat, ut de Fide cum adversariis coram disputaret. Verum cùm Ursacius & Valens Ariani Episcopi, quos Hilarius scriptis confutarat, præsentis eruditio nem pertimescerent, Constantio persuaserunt, ut specie honoris eum in suum Episcopatum restituere. Tunc Hilarium è prælio hæreticorum revertentem, ut inquit sanctus Hieronymus, Galliarum Ecclesia complexa est; quem ad Episcopatum secessus est Martinus, qui postea Turonensi præfuit Ecclesiæ: tantumque illo doctore profecit, quantum ejus posseà sanctitas declaravit.

R. Posui adjutorium....

*Lectio VI.*

Magna deinceps tranquillitate Pictavo-

rum Ecclesiam administravit: Galliamque universam adduxit, ut Arianorum impietatem condemnaret. Multos libros scripsit mira eruditione, quos omnes sanctus Hieronymus ad Lætam, sine ulla erroris suspicione legi posse testatur illis verbis: Hilarii libros inffenso decurrat pede. Migravit in cœlum Idibus Januarii, Valentiniiano & Valente Imperatoribus, anno post Christum natum trecentesimo sexagesimo nono.

Eum à multis Patribus et Conciliis insignem Ecclesiæ Doctorem nuncupatum, atque uti talem in aliquot Dicesibus cultum, tandem instante Synodo Burdigalensi Pius Nonus Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universæ Ecclesiæ Doctorem declaravit, et confirmavit, ac ipsius festo die Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit.

R. Iste est qui ante....



